



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

[Capvt Primvm.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**



Occasio Samuelis primū describitur quē dominus abiecto Eli propter filiorum impietatem uoluit subrogare in sacerdotium & principatum, cuius deinde filij impij iudices occasionem dant populo petendi regis, & fit rex Saul, cuius uita in hoc libro descripta est, & hoc reprobato, unctio Dauidis qui in figuram Christi & exemplum omnium credentium, multa persecutione & cruce preparatur ad regnum eternum. Atq; hæc est huius primi libri summa & argumentum.

Helchanam necesse est esse Leuitam cuius filius Samuel postea sacerdos legitur, Leuitam autem esse clare uides. 1. Para. 6.

In his duabus uxoribus mysteriū est quod in Agar & Sara, de quo, præter historiam Genesis, lege epist. Gal. Præterea uide diligenter hoc loco quod agat scriptura ubiq;. In his duabus mulieribus depicta est nobis natura hypocrisis & fidei, siue hypocritarum & credentium. Phenenna obseruans est mariti, non obnoxia malæ famæ, ascendit ad locum sanctum, talis uidetur esse coram deo qualis coram hominibus, & sanctitatem probitatēq; eius uidetur approbare deus dum suis eam honorat muneribus, id est, filijs. Annam uero uidetur abijcere cuius conclusit uulnam, que certe est maledictio, quemadmodum maledictio

Phenenna

Anna

ctio terræ est quæ suscepto semine nõ refert fructum,  
 Neq; humanum iudicium potest recte de ea iudica-  
 re, non solum in Phenenna sed etiã in utro bono Heli  
 errante, qui tristem adflictãmq; ut ebriã increpat, Hy-  
 pocritæ opinionẽ habent sapiẽtiæ, pietatis & iustitiæ,  
 non solum apud alios sed etiam apud semetipsos, &  
 dum omnibus abundãt & magni fiunt ab hominibus,  
 his dei donis superbiunt, quasi merito acceptis, certissi-  
 mo quasi argumento cum phariseo illo iudicantes, Nõ  
 sum sicut cæteri hominũ &c. alios non ita amat deus,  
 imò odio habet quibus oĩa accidunt in diuersum. Atq;  
 hic ex fructu tandem qui dei sunt discipuli poterunt  
 cognoscere eos q; sint, quẽadmodũ scriptura appellat,  
 uiri sanguinũ. i. male uolẽtes alijs. Dum enim suis ope-  
 ribus & dei donis superbiunt, non possunt nõ odisse  
 alios, nullã habent compassionẽ cum peccatoribus, ex-  
 probrant nõ solũ peccata sed etiam crucem quã deus  
 suis imponit, & præterea sentiũt & exprobrant esse  
 maledictos ab ipso deo qui non acceperunt quod ipsi,  
 quasi & ipse deus agat contra fideles, quæ est grauissi-  
 ma piorũ tentatio in miserijs ipsorũ. Hoc est quod ex-  
 probratur etiam Annæ q; dominus ipse conclusit uul-  
 uam eius. Et in psal. Multi, inquit, dicunt animæ meæ,  
 non est salus ipsi in deo suo. Item, Deus dereliquit eũ,  
 Persequimini &c. Credentes autẽ oportet despici, por-  
 tare crucẽ, dixã beneficijs dei differri, ut interim per

crucem ascendat ad gloriam, dum illi cæci per gloriam descendunt in mortem, ut fides iustorum probatione crescat, dum illorū blasphemia nō cessat. Et tunc hic primi nouissimi & nouissimi primi, & maior seruiet minori, Iacob simplicem diligit deus, Esau uirum industrium odio habet, & erunt plures filij desertæ quàm eius quæ habebat uirū. Hæc omnia Hanna infra ca. 2. in cantico declarat.

Et ascendebat,

Secundū legem Deut. 16. In Silo erat tabernaculū domini à tēpore Iosue, ut dicitur Iosue. 18. & sine dubio arca, quæ translata est sub Eli de quo hic uidebis. De Silo dicit dominus Hier. 7. ne confidamus in cultu dei externo etiā quem mandauit deus, nisi fides adsit, quæ certe in nulla re confidere permittit utcumq; sancta.

Partes scilicet ex sacrificijs ut ederēt. Epulabantur enim & bibebant coram domino ex sacrificijs pacificis, cremata pinguedine coram deo & dato pectusculo & armo dexto sacerdoti, Deut. 16. & Leuit. 7.

Partem unam,] quia sola erat non habens filios quibus partes darentur. [Non capiebat cibū] .i. nō libebat ei edere, parum edebat, infra, Postquā comederat &c.

Amaro animo.

Hæc crux est dum interim hypocritæ regnant securi quasi deo proximi. Verum hic nō contenditur contra aduersariū, grauiora enim intus sentiuntur quàm ut

contendere libeat, sed preces multiplicantur coram domino. Habes hac de re multos psalmos. Hismael persequitur Isaac, non contra. Gal. 4.

### Et nouacula.

Sicut Samson Iud. 13. de lege Nezaræorum, id est, domino ad tempus sanctificatorum, Nu. 6. quæ lex Christianum significat & Christianos quorum omnia sancta sunt usque ad crinem capitis. Omnis, inquit, capilli capitis uestri numerati sunt. Adeo non sibi aliquid arrogant credentes sed domini sciunt esse omnia sua, ut ne crinis quidem sui sibi ius seruent. Omnia enim resignant deo etiam minima. Idcirco iubemur non iurare ne per caput quidem nostrum, quia non potes facere unum capillum album aut nigrum, Matt. 5. In baptisate te totum sanctificasti deo, ut non sis amplius tui iuris. 1. Cor. 6. Non estis uestri, Empti enim estis &c. Quid ergo iam ultra siue uoto siue iuramento promittere potes, qui quotidie oras, Fiat uoluntas tua, non mea?

### Loquebatur in corde.

Fidelium oratio non hypocritica describitur. psal. De siderium pauperum exaudiuit &c.

### DE VOTO HANNAE.

Votum necesse est ut sit possibile & pium. Si iures aut uoueas te uolaturum ridiculum est, si hominem occisurum impium est, si non habes in potestate quod uoues nonne stulte uoues? de quo supra diximus, ut qui

uouent domino castitatem & reddunt diabolo nescio  
quæ, & ut castissime uiuant, tamen per uotum suum  
confirmant doctrinas demoniorū prohibentium nu-  
bere, Dixi de hac re in Deuteronomio. Ex uoto Han-  
næ uolunt hodie confirmare sua uota quasi ab eo non  
dissideant per dis diapason. Hanna hic nihil habet  
in potestate sua, nihil in libero arbitrio, nihil præsu-  
mit, sed omnia atq; adeo ipsum uotum committit deo,  
plane in manu dei hic sunt omnia, Si dederis filium  
tibi dabo, si non dederis tibi dare non potero, si nol-  
ueris tibi dari, non dabis, si uolueris, dabis. Et quod ad  
me attinet dabo eum tibi ut faciat ministeria in taber-  
naculo & seruiat sacerdoti. Quod si tunc tibi aliter  
uisum fuerit ubi tibi obtulero ut non maneat in eo mi-  
nisterio, non præiudico isto uoto tuæ uocationi, tuus  
erit, facies de tuo quod tibi placuerit, Votum contra  
tuam uoluntatem est impium. Tu si ad hoc dederis ut  
tibi offeratur, dabis quoq; filio quem dederis mentem  
ut mihi in hoc obediat. Debet hoc pietas parenti  
ut faciat filius quod uolo secundum deum, imò hoc ad  
quod eum mihi deus dedit, ut simul dei uocationem  
agnoscat & præceptum de parentibus honorandis.  
Quod si per impietatem postea filius descuerit con-  
temnens & uocationem dei & parentū imperiū, ta-  
men quod ad me attinet uoto respondi ubi obtulero.

Nihil uero hic uoueo quod periculū habeat conscientie in filio, id quod si deprehenderit, iam non solum liberum erit filio mutare sed etiam necessarium, quandoquidem uotū tibi facio non contra te. Huic uoto potuisset refragari maritus. Nu. 30. Et præterea hoc uotum non est perpetuū, ut infra dicitur, Cunctis diebus quibus fuerit accomodatus domino. Nam quia leuita erat ex Caath Samuel à. XXX. anno debebat ministrare secundū legem dei, Nu. 4. non secundū uotum matris & à. L. anno eadē lex reddebat ipsum liberū. Historia quoq; hoc declarat dum postea Samuel describit in Ramatha in possessione paterna habitantem & iudicem in Israel multis annis. De uoto perpetuo dixi in Deut. Compara nunc nostrorū iustitiana uota cum isto &c.

#### Vultusq; &c.

Sic acceperat uerbum consolationis ex ore Eli ut ex ore dei. Non dubium si inuocato deo interrogas sanctum uirum quin dominus tibi respondeat per eundē & te consoletur certo uerbo. Sic credimus olim consuluisse sanctos deū per sanctos homines, exceptis specialibus reuelationibus. Hinc Anna iam non amplius tristis est &c. Hæc est natura consolationis dei post crucem & infros.

Hostiam solemnem,  
 vocat quæ secundum legem pro tempore debebatur.

Votum autem hostiam uoluntariam, sicut sepe in psal-  
mis uotum dicitur spontaneè oblatum, id quod uulgo  
deuotionem dicimus &c.

## CAPVT SECVNDVM.

**H**X historia sua Hanna spiritu plena con-  
tra gloriã humanæ hypocrisis decantat  
deo gloriã, per quã dei gloriam sterilis  
parit plurimos. i. gētes & peccatores cō-  
sequuntur gratiã, quæ gloria & gratia dei declarata  
est & uenit mundo per Christi regnũ, cuius cornu ex-  
altat deus contra omnem mundi potentiã, sapientiã,  
iustitiam atq; adeo omnem hypocrisim humanam.

## Porro filij Heli.

Sacerdotis est officiũ mediare inter deũ & hominem,  
docere populum uerbo dei, & sacrificare, Hæc omnia  
cadũt ubi uerbũ dei abijcitur, quid enim impietati cõ-  
pietate? Quẽadmodũ isti sacerdotes contemnũt quod  
in lege domini præceptũ est de partibus sacerdotũ &  
sacrificiorũ lege ut cremetur adeps domino, ut est in  
leuitico, & ne populo quidem admonēte respiscunt,  
sed uolentia utuntur dum sua quærunt. Præterea &  
patris recta quidem monita sed magna indulgentia fá-  
cta contemnũt, iudicio dei, ut dicit hic scriptura, qui  
uoluit eos perdere. Exemplũ doctrinæ humanæ, quæ  
contra uerbum dei cogit homines ad sua, dum gloria,